

bola differunt, quia diuersus modus significandi est et testificatio fit de diuersis bonis. Necesse est secundum concionem euangelij hominem primum inseri Christo et ex regno diaboli in regnum Filij Dei collocati. Illius insertio- nis *σφραγίς* est ablutio vel mersio in aquam baptismi, quia significat, vt apostolus loquitur, veterem hominem mergi et aboleri.⁵² Et contra baptiza- 5 tum esse, reconciliatum Deo, fieri ciuem regni Christi et renouari ad vitam aeternam, sicut Paulus manifeste baptismum nominat lauacrum regeneratio- nis et renouationis Spiritus sancti.⁵³ Homini deinde renato opus est perpetua nutritione, perpetua fidei confirmatione. Illius pignus vel *σφραγίς* est sacra coena. Hoc enim conuictu tanquam certo pignore testatur Christus se creden- 10 tibus certo et perpetuo affuturum, eos sese seruaturum et viuificaturum vita beata et corpora etiam ad immortalem vitam excitaturum. Quia vero has Dei in homine effectiones aliqui perperam accipiunt, tenenda est haec admonitio: Sicut symbolis per se nulla est facta promissio, nulla etiam ibi praesentia Dei physica, nulla alligatio magica ad ea, ita sunt omittendae imaginationes Osi- 15 andricae, enthusiasticae et quorundam aliorum de commixtione substantia- rum Dei et hominis. Opus saluatoris commune est tribus personis, ita tamen, vt immediate efficiatur a Filio, quia pertinet ad regnum Christi in hac vita. Iam natura diuina substantia sua omnia replet neque alio modo hic, alio alibi essentia sua praesens est, sicut nota sunt testimonia ex oratione Stephani et 20 alia. Humana natura physica [18:] locatione est in coelo, hoc est in loco coe- lesti, qui est sursum abducta a nobis neque reddetur nobis ante vltimum Christi aduentum.⁵⁴ Quare praesentia inhabitationis est praesentia efficaciae. Habitat Christus in Paulo, id est seruat non tantum vitam et substantiam Pauli sicut omnium aliarum rerum conditarum neque etiam tantum in eo ac- 25 cendit heroicis motus, quales fuerunt in Alexandro, sine vera luce Dei, sed etiam singulari modo eum mutat, vt fiat conformis Deo. Hic nulla ponitur substantiarum confusio, sed retinetur discrimen inter creatorem et creaturam, inter causam et effectum. Nouitas accensa in renatis est a Deo, est a Spiritu sancto, sed non est pars substantiae Dei vel Christi. Nihil igitur opus est Ser- 30 uetica et Stenckfeldiana apotheosi, quae similis est Vergilianae,⁵⁵ de qua di- citur: Mens agit molem et magno se corpore miscet, sed quidam, vt ex his cuniculis petant pigmenta suae causae, acerrime vrgent, veteres manifeste

⁵² Vgl. Röm 6,6.

⁵³ Vgl. Tit 3,5.

⁵⁴ Vgl. Philipp Melancthon, Enarratio epistulae Pauli ad Colossenses (1559), in: CR 15, 1271.

⁵⁵ Zur Person des Spaniers Servet und seiner antitrinitarischen Infragestellung altkirchlicher Dogmen vgl. Jerome Friedman, Art. Servet, in: TRE 31 (2000), 173–176. Zur Rede von der Vergottung der menschlichen Natur Christi bei Schwenckfeld vgl. Caspar von Schwenckfeld, Bekandtnus vnd Rechenschafft (1548), in: CSch 11, 144,15–21: „Zum achten / Irren die widersä- cher der Glorien Christi nu auch in demme / Daß sie Christum Jesum nicht nach seiner gantzen Person der zweien vereinigten Naturen jn der Glorien / für Gott den Herren wöllen halten / vnd Apotheosin, das ist / die Gottwerdung deß Menschens inn Christo / so durch sein Widergebur- t auß den todten / durch die Salbung / Himelkrönung vnd volkomne Glorification seines Flei- sches / im einnehmen der gantzen fülle deß wesens Gottes geschehen ist / verleugnen“.